La Communication de Pologne

Exemplum Litterarum a novo Duce Cosacorum ad S.r R.m M.m datarum

Serenissime Rex

Domine Domine Noster Clementis.me

Dignata est S.a R.a M.tas V.a nos mancipia sibi subiecta gratiosis litteris, quibus nos hortatur, ut corda nostra impleamus inimicitiâ ad, versus execrabilem Bisurmanorum gentem, in memoriam nobis revocando vitam majorum nostrorum. Magnâ profecto lætitiâ repleti sumus, et sic mentem nostram S.æ R.æ M.ti V.æ Dnô Nrô Clementis.mo declaramus, tenebris oculos nostros, ut fit post occasum Solis, obduci, cum in memoriam nobis revocamus aureum seculum Majorum Nostrorum, qui procellis potentiæ barbarorum usq ad mortem in Martio campo corda et pectora sua opponentes, preciosissimum thesaurum, id est bonam famam sibi acquisiverunt. Hanc et nos fovemus curæq habemus, et Majorum vestigia presso pede sequentes, hoc fundamentum in cordibus nostris jecimus, ut abjiciamus tam magnum errorem, et summo Deo exosum qui per aliquot annos inter nos grassando tot ruinas miserandæ patriæ nræ attulit. Hæc in oculos nros incurrendo, velut acutis mucronibus corda nostra confodiunt, et nos eò pertraxerunt, ut deplorandæ patriæ nostræ curam geramus. Cujus mala adspicientes, dolore compungimur. Et certe saxeum cor

geral

gerat oportet, qui tantis ejus calamitatibus non commoveatur. Nos equidem fatemur, nos magnam ob peccata nostra, Deo permittente, pœnam pependisse. Fatemur insuper ipsimet, ut regnum Poloniæ, ita et Litvaniam et adjacentes regiones non per ullum alium, quam per nos, utpote instinctu nostro, tanta damna subijsse. Propterea Deus nos etiamnum punit, et æternum puniet nisi nos commissorum pœniteat. Nemo enim est, qui etiamnum nos laudet, quod varie nos instar diversarum rotarum movendo sanguinem Christianum profuderimus. Quod quidem hosti communi gaudium attulit. Nunc, ut et errorem in cordibus nostris dominantem, dum videmus, corda nostra illuc fleximus, ne nos amplius domesticis turbis immisceamus, sed potius enses nostros contra hostem Sanctæ fidei stringamus. Quamvis autem pectora nostra mœniorum instar hosti opponamus, testamur tamen non pro ditionibus amplis vel ingentibus gazis, sed pro deplorata patria potius nos id facturos, dummodo S.ra R.a M.tas V.ra Dominus noster Clementissimus irretorto gratiæ suæ oculo, nostras libertates adspicere velit. Non enim opus habemus amplis possessionibus vel dignitatibus Senatorijs: solam ambimus et supplices expetimus à S.a R.a M.te V.a libertatem, cuivis rei creatæ caram.

Dabantur in Castris d. 28.
Xbr. Anno MDCLXVII.

Sacræ Regiæ M.tis Vestræ
Dni Nri Clementissimi
humillimum mancipium
et scabellum
Iwasco Dux Cosacorum in castris degentium
suo et Commilitonum nomine